



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

Quomodo tam exteriorem, quàm interiorem hominem ad vnionem Deo
præparare possimus. Collatio II.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

Virtutum
acquiren-
daru mo-
dus.

virtutibus animam suam Deus adornare dignetur. quia virtutes multo citius per famamigeras orationes, quam per exercitia conquiruntur. Et his breuiter praemisissis, ac velut in quendam fasciculum pariter collectis, vterius conscendere debet per amorem vnitiuum in ipsam charitatem increatam, quae Deus est, vt sic ibidem anima feliciter liquefacta, omnium eorum, quae petijt à Domino, quasi sigillatim quandam impressionem recipere mereatur. Et qui haec frequenter, & his perseveranter inhaerit, impossibile erit, quin ad vitam perfectionem perueniet.

Quomodo tam exteriorem, quam interiorem hominem ad vniorem Deo preparare possimus. Collatio II.

Apocal. 3
Cantic. 2

Preparatio
vna.

Tollite iugum meum super vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde. Matthæi II. Cum rerum omnium opifex in omnibus, quae sunt in caelo sursum & in terra deorsum, sui beneplaciti plenissimum obtineat principatum, in sola creatura rationali (cui liberum ex ingenita nobilitate contulit arbitrium, vt assentiendo meritum, vel dissentiendo demeritum sortiretur) temerariae resistentiae iacturam patitur, ne opus illud mirabilissimum & omni acceptione dignissimum, ineffabilis contentionis diuini humanique spiritus ad salutem nostram debite perficiatur. Quod adeo profua dignatio diuinae communicationis in nos adimplere desiderat, velut si in hoc ipso deliciae ipsius dependeant. Hinc enim potissimum illius desiderium ad hoc iugiter flagrare dinoscitur, vt centrum illud nobilissimum, in humano spiritu concreatum, semper purum, auidum ac paratum inueniat, vt opus illud mirificum liberè profequi valeat, dicens illud Apocalypsis: *Ego sto ad ostium, & pulso. Surge amica mea, soror mea, sponsa mea, & veni*, scilicet mihi obuiam per debitam propriae voluntatis resignationem. Nam vnde surgendum est, nisi ab omnibus creatis, per affectus eleuationem; & à seipso, per veram sui abrenuntiationem; & ab omnibus multiplicitatibus, per simplicem ac nudam dilecti contemplationem? Tales enim proprie se ipsos abnegant, & intima sua à Deo libere preparari sinunt, in omnibus diuino beneplacito sese liberrimè resignantes, ac promptissimè se sub omnifaria dispositione diuina, tam in aduersis, quam in prosperis, funditus collocantes, quibus solum sapit diuinum beneplacitum: nõ inquirentes tempus beneplaciti, quo dilectus indulgere velit spiritualem

malem saporem, oblectationem, vel illuminationem; sed in omnibus aduersitatibus mente liberi & pacati & quieti remanentes, ac præceptum illud veræ perfectionis adimplentes: *Tollite iugum meum super vos, &c.* In quibus verbis, gratia breuitatis, iugum duplex intelligi potest, secundum, duplicem hominis portionem, scilicet interiorē & exteriorē. Hinc etiam subdit: *Discite à me, quia mitis sum,* scilicet quantum ad hominem exteriorē; & *humilis corde,* quantum ad hominem interiorē. Et tandem adiungit: *Iugum enim meum suave est, & onus meum leue.* Nam *onus* ad hominem exteriorē pertinet, sed *iugum* ad interiorē. Ad maiorem autem euidentiā, sciendum, quod *iugum* exterioris hominis erit ipsa Christi humanitas per veram imitationē assumenda. Boves autem hoc iugum assumentes, erunt vis concupiscibilis, & irascibilis. *Iugum* autem hominis interioris erit ipsa Christi diuinitas, per puram contemplationem frequentando. Boves verò hoc *iugum* assumentes, erunt cognitio, & dilectio. O felix nimis, qui dicebat: *Ut iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Iugo igitur humanitatis Christi submittenda sunt colla virtutis tam irascibilis quàm concupiscibilis, vt scilicet concupiscibilis mortificetur ab omni oblectatione non bona in affectu propriæ vilitatis, & humilitatis. *Ex-*pedi enim, vt *unus homo moriatur pro populo,* id est, sensualitas, vel naturalis voluntas: quæ nisi spiritualiter moriatur, tota congeries vtriusque hominis morti disponi necesse est. Quæ, scilicet, mors, tripliciter in nobis perfici debet. Nam incipiens, quibus adhuc mundana sapiunt, mortificare se debet exemplo Christi, efficaciter ea suppeditando, quibus se occupare voluntas naturalis, vel sensualitas per oblectationem assolet, siue sint exteriora, vel interiora, in vestibus, cingulis, diuersis clenodijs, vel alijs oblectationibus in sensibus exterioribus: ac etiam in incautis conuersationibus, societatibus, lenitatibus, priuatis affectionibus, vnicuique scilicet proprium remedium diligenter obijcientes, & eorum præsertim occasiones subtrahentes. Et hoc est initiū veri profectus. O mors quàm amara, & insipida es tepidis. Sed *regni* calorū vim patitur. Et: *Dulcia non meruit, qui non gustauit amara.* Proficientes verò non solum inuigilare debent mortificationi sensu exteriorum, & virium interiorum ac affectuum: erga mortales creaturas omnes, & oblectationes earundem, sed quandam resignationem faciant sui ipsius in omni oblectatione spiritualium donorum, & gratiarum, scilicet in actuali amore, spirituali sensu, & degustatione, nu-

M m m 3 de dun-

Iugum exterioris hominis.

Psal 72

Ioann. 11

Mortificatio incipientium.

Matth. 11. Mortificatio proficientium.

dè duntaxat amore nudo, nudo Deo fideliter, & dulciter innitentor: nec in donis quibuscunque, sed in omnium largitore quietem requirerentes. Et hîc facillè quis inuenit, qualiter in omnibus se natura quaritat, etiam in diuinissimis exercitijs. Quòd si propellitur ab vno, concitè ceteris se fraudulentè immiscet, ita quòd vix in hac parte inuenitur Deo fidelis. O quantè in futuro reperientur occulta fallaciæ naturæ, pro eò quòd ipsa non fuerit in intentione, & amore purificata ac deiformis effecta.

Mortifica-
tio perfe-
ctorum.

Perfecti autè inuigilare debèt plenissima abnegationi naturalis voluntatis in liberà Dei voluntatè, præsertim in omni subtractione diuinarum gratiarum, & influentiarum, quieta mente sine omni anxietate, diuinã visitationem reexpectantes, æquè contenti, siue dare voluerit, siue non. Sed hæc mors difficilis est, sine qua nullus veram perfectionem attingere valet. Alioquî si in te pœnas omnium susceperis, si omnium hominum poenitentiam egeris, nisi te ipsum sic in voluntate mortificaueris, & affectu plenissimo te abnegaueris, veram perfectionem non obtinebis. *Expedir* igitur vnum hominem mori pro populo. Submitti debet etiã vis irascibilis iugo humanitatis Christi, quantum scilicet ad omnia aduersa. Nam vellet nollet, homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Nimirum oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Cuius exèplo doctus, vim tuam irascibilem omnino resignare debet in diuinum beneplacitum in omnibus aduersitatibus, angustijs, tentationibus, & pressuris, cum eodem repetès: *Si possibile est, transeat à me calix iste: Veruntamen nõ sicut ego volo, sed sicut tu.*

Ioan. 11.
Irascibilis
vis iugo
stringend.

Tob 14.
Lucæ 24.

Matth. 26.

Fimus my-
sticus.

Similiter anima in omnibus defectibus spiritualibus, quos extirpare non potest, quantumcunq; laborauerit, & tunc ei defectus illi cooperabuntur in bonum, scilicet propriam vilificationem, & despectionem. Vnde sicut equus in stabulo fimum fetidum parat, quem suo tempore (cum labore quidem) extrahit, & in agrum dispergit, de quo fructus vberimus frumèti, vini, & olei cõlurgit: sic fimus spiritualis sunt tribulationes, tentationes, angustia, miseria, & defectus, quos nulla industria deuincere possumus. Sed hos in principio orationis in plena humiliatione, & abnegatione esferentes, in agrum fertilissimũ diuini beneplaciti dispergemus, ex quo conturget fructus admirabilis omnimodæ nostræ tubiectionis in omnibus aduersitatibus, proferès dulcissimum quendam refluxum spiritualis hilaritatis in omnibus euentibus aduersis, quantumcunq; arduis, quibus se dignum iudicat. Nimirum cum
ex tunc

ex tunc dilectus cuncta ferè supportet, vtpote qui totum hominẽ induit. In cuius argumentum dicebat Apostolus: *Vivo autem iam nõ ego: vivit verò in me Christus.* Porro secundum *iugum*, scilicet hominis interioris, est diuinitas ipsa, per puram contemplationem frequentanda: in qua scilicet cõtemplatione captiuabitur nostra cognitio & dilectio, sicut consulit Apostolus dicens: *Renouamini spiritu mentis vestrae, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est.* Ad cuius euidẽtiam sciendum, quòd anima dicitur spiritus secundum vires superiores, quibus tantum Deo proximatur, & cõiungitur per intimam contemplationem, quòd quandoq; cum eo spiritus vnus efficitur. Nam spiritus diuinus quendam continuum, & æternum respectum habet in intima spiritus nostri. Et econtra spiritus noster naturaliter æternum respectum creationis habet in suam originem, id est, in spiritum diuinum, qui nec desinet etiam in damnatis, & hunc quidem respectum, quando per actualem contemplationem perfectè profecutus fuerit, tunc cum spiritu diuino spiritus noster vnus erit. Dicitur etiam quandoque mens, quæ scilicet ipsis viribus interior est & supereminet: quia vires in mente sicut in origine sua sunt cõiunctæ, ex qua scilicet effluunt vt radij, ex solari rota, & in quam refluunt. Et est illud centrũ in anima, in quo vera Trinitatis imago relucet: & tam nobile, quòd nullũ illi nomen propriè conuenit, licet in multis nominib; circumlocutiue manifestatur. Hæc igitur mens, vel apex mētis, aut centrum ipsius animæ, vt feliciter renouetur, ipsæ vires, quæ dicuntur spiritus, ad interiorẽ sinum mentis sunt reflectendæ, & mens ipsa ad intimum suum regerenda, scilicet in Deum ibidem suauiter recubãtem: & hoc per simplicem intentionem, puram dilectionem, & nudam vel impermixtam actualem intuitionem. Ad quod perficiendum, captiuandæ sunt vires exteriores, & ergastulo viriũ interiorum includendæ, ac vires inferiores in cubiculum virium superiorum introducendæ, & superiores in ipsam virium vnitatem vel mentis apicem reflectendæ, vt sic ad sancta sanctorum cum mente valeant ingredi, ac feliciter renouari. Sic sic spiritus noster in suam originẽ, id est, mētis apicem sese conuertens, & vltra in spiritum increatum se reclinans, feliciter mereatur renouari. Quia dum increato spiritui se totũ immergit vt liquefcatur, & in illã abyssum infinitã diffuat denuò, semper illius imago renouatur, vt audire feliciter mereatur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* In quam felicissimam introuersionem, immersionem, & absorptionem:

Mmm 4. velut.

Galar 6:
lugum in-
terioris ho-
minis.

Ephes. 4.

Anima
spiritus,

Anima
mens,

Centrum
animæ.

Vires quæ
regudantur.

Psal. 21.

velut minimus pisciculus in immensam pelagi huius vastitatem, vnus-
quisque cum spiritu suo natare studeat, longè lateq; diffuens supra se
& omne creatum, in illam diuinam caliginem, nil interrogando vel ra-
tiocinando, sed tantum ipsum summum bonum amando & intendendo,
ac in eandem diuinitatis abyssum omnia proiciendo peccata, defectus,
tribulationes, angustias, & quaecumq; pro tunc in amore practico oc-
currere poterunt. Nec aliquem modum certum exercitiorum in amo-
re practico frequentabit, sed actioni & voluntati diuinæ se purè resi-
gnabit, voluntarium & viuendum instrumentum summi opificis se dun-
taxat exhibens, & irreuerberata acie in illam diuinitatis abyssum sim-
plici contuitu semper prospectans.

Cognitio-
nis & dile-
ctionis ca-
ptiuatio.

Nobilitas
animæ.

O verè *iugum Domini suauis*, quo sic intellectus & affectus, vel agni-
tio & dilectio feliciter captiuantur, in illud vnum, verum, & summum
bonum, quod tanta efficacia suæ dulcedinis hominem attrahit, & in
ad ipsum inhare facit, quod torum verè sanguinem & medullas eius
sua vigorositate consumit præ incomprehensibili auiditate, qua felix
anima viuaciter aspirat ad suam (vnde profluxit) degustatam originem.
O anima mea, vnde profluxus tuus sumpsit exordium? nõne ex illa
abyssu diuinitatis, velut essentia de essentia, vita de vita, intelligentia
de intelligentia, lumen de lumine? sed creaturaliter, non essentiali-
ter: non dea de Deo, sed deificata à Deo. Cuius tanta est connexio, tam
excellens cõnuitio, quod nunquam est abolenda, nunquam in aternum
separanda. Vnde sicut sol iste materialis in sua rota lux quadam est ef-
fentialis, radios suos vbiq; dispergens, qui licet essentiam suæ clarita-
tis non communicat, aternam tamen contiguationem præstat, qua
scilicet radium in esse conseruat, ita quod eodem momento, quod cõ-
tiguatio illa dissipatur, etiam esse ipsius radij penitus euacuatur. Sica-
nima, ab infinita diuinitatis abyssu profluxa, quandam aternam con-
tiguationem, vnde conseruatur & alitur, cum origine sua retinet. Sic-
ut igitur quis per radium in rotam solarem ducitur, sic à sensibus exte-
rioribus & viribus ad interiores, ab inferioribus ad superiores, à supe-
rioribus ad vnitatem essentia ipsius animæ, & ab ea in primam illius
originem recto tramite ducitur. Et qui per illam viam feliciter gra-
diuntur, ab omnibus imaginibus & intermedijs citius expediuntur.
Vnde legitur de quodã, quod tam exercitatus erat in denudatiõne men-
tis, quod ferè nullam imaginem creaturalem retinere poterat. Hinc
factum est, quod alter frater superueniens & pulsans aliquid ab eo cõ-
modan-

modandum expeteret: cui se allaturum quod perierat, respondit: sed antequam intraret, hoc ipsum quod afferret, & fratrem foris expectantem oblivioni tradidit. Cum igitur frater denuo pulsaret, alter omnium oblitus ad ostium reuertitur, & quid frater velit sciscitatur, quod factum est ter. Tertia igitur vice cum pulsasset frater, reuersus est senex ad ostium, & ait: Ingredere, & accipe quod petis, quia imaginem illius rei tamdiu in me retinere non valeo. O quam dulciter hic captus erat & subditus iugo diuinitatis per contemplationem aeternorum. Quod si queris, cur ad illam denudationem cordis vel mentis peruenire non prauales, breuiter respondeo, quod sicut naturaliter minima proxima subtrahunt ab oculis nostris remota maxima, (vt patet in rota solari & nubecula interposita,) sic spiritualiter minima terrena subtrahunt a nobis maxima caelestia & diuina. Vnde sicut speculum aquae impositum & soli diametrali subiectum, totam in se rotam solarem recolligit, quae tamen tota terra maior esse fertur, quod si medium quamtuncunque paruum interuenerit, speculum illud imagine solari penitus denudabit: sic anima, licet minima, virtualiter (respectiue scilicet) totius tamen Trinitatis capax est, quod si medium quantuncunque paruum interuenerit, eminentissimum illum diuinae claritatis influxum prohibebit. Non solum dico de peccatis quantuncunque minimis, sed etiam de formis, imaginibus, & similitudinibus, quantuncunque puris & nobilibus, in contemplatione susceptis. Quae cuncta medium constituent inter sole iustitiae & speculum animae, ne claritate illa rota solaris, id est, ipsa diuina essentia immediate valeat imprimere. Hinc oportet animam ab omnibus esse nudam, quam nuda diuinitas sua claritate perlustrare debeat.

Quomodo per quinque virtutum exercitia ad Dei contemplationem pertingamus. Collatio III.

ERat autem Hierosolymis probatica piscina, quinque porticus habens Iohan. 5. Sicut ait Apostolus: *Illam autem qua sursum est Ierusalem, libera est, mater nostra:* de qua nimirum eicienda est ancilla & filius eius, quia non erit haeres filius ancilla, id est, timoris seruilis, cum filio libera, id est, timoris filialis. In hac ergo Hierusalem est probatica piscina, in qua lauantur hostiae Deo in aeternum consecrandae, & praesertim ouium innocentium, quia dicitur probatica a *πεβλατοπ*, quod est ouis, & est nomen Graecum, quod interpretatur Hebraice *Bethsaida*, id est, domus ouium. Quae est igitur piscina cum suis porticibus, nisi dulcis.

Impedi-
mentum.

Mediu in-
ter Deum &
animam.

Galat. 4.

piscina.

Piscina my-
saic quid.

N n n n

dulcis.